



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

Cap. I. Definitio, institutio, necessitas.


**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

Pontifici reseruata, quod illa duo non comprehenduntur in generali concessione, nisi exprimantur: reliqua autem satis expressa censentur, dum non excipiuntur.

100. *Potest ne quis in vno, vel duobus bis lucrari Iubilæum quoad omnia priuilegia?* Negat Layman lib. 5. tract. 7. c. 8. n. 9. Laym.

Filliucius tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 278. Clementem VIII. respondisse testatur, Iubilæum tam in anno Sancto, quam in aliis semel tantum sumi posse. Rationem reddit Torres 2. 2. Torr.

tom. 1. cap. 188. a. 12. d. 6. num. 8. quia in Breui dicitur, gratiam consequendam esse vna è duabus hebdomadibus dis-iunctione. Porro Henriquez lib. 6. cap. 16. num. 3. contrarium Henriq. affirmavit; quia cum Iubilæum propter opera concedatur, & bis iniuncta opera possit quis implere: non est, cur Iubilæum bis obtinere non possit; præcipue quia gratiæ sunt ampliandæ.




*EXAMEN VI.*

*Circa materiam de Sacramento Eucharistiæ.*

*CAPVT PRIMVM.*

*Definitio, institutio, necessitas Eucharistiæ.*

1.  *Vidnam Eucharistia?* Sacramentum, quod sub speciebus panis & vini continet corpus & sanguinem Christi ad conseruationem spiritualis vitæ per Baptismum acceptæ.

2. *Quando institutum hoc Sacramentum?* Ab ipso Christo in vltima Cœna perfectum est, quando post Agnum typicum, & lotis Discipulorum pedibus ante communem Cœnam, illud instituit, primus sumpsit, & omnibus Discipulis dedit, etiam Iudæ, quo tempore, vti ex Patrum constat sententiis, conuenientissimè institutum est.

3. *Quàm necessaria sit Eucharistia?* Ex fine quidem maxime eius necessitas agnoscitur. Finis quippe instituendi huiusce Mysterij non originalis, aut mortalis culpæ remissio, sed gratiæ augmentum, & spiritualis vitæ nutritio fuit. Et quamuis ad perseverandum in gratia siue re ipsa, siue in voto medium absolutè necessarium non sit, non paruulis modò,

826 *Moralis Theologiae Tract. VII. Sacramenta,*  
sed neque ipsis adultis: ita tamen efficax est, & præpotens,  
ut moraliter ad id necessarium videatur, ut propterea iu-  
ustificatos omnes illius votum habere aliqua ratione dicen-  
dum sit.

CAPVT II.

*De materia & forma Eucharistia.*

4. *Quanam Eucharistia materia?* Necessaria quidem hu-  
ius Sacramenti materia panis & vinum est. Materia  
equidem panis ex tritico conficienda; unde nec apta legumi-  
na, nec granum quod triticum non sit, v.g. hordeum, milium,  
panicum. Porro naturali aqua subactus esse debet, & solo igne  
decoctus siue azimus, siue fermentatus sit: quamuis azimus  
aptior iuxta Ecclesiasticam] consuetudinem materia sit. Vi-  
num ex vite, cuiuscunque illud sit conditionis, modò ex vasis  
maturis sit expressum. Cerrè huic ex Ecclesiæ præcepto pa-  
rum aquæ naturalis miscendum.

5. *An utriusque materia, panis scilicet & vini iungenda sit  
in consecratione?* Ita planè, non Sacramenti necessitate, sed di-  
uini præcepti obligatione: in quo tamen grauissima de causa  
Pontificem posse dispensare probabiliter affirmo.

6. *Vertitur ne in sanguinem aqua?* Si Consecrationis tem-  
pore fuerit iam in vinum conuersa, vertetur in sanguinem;  
sin minus, nil prohibet quo minus aqua pura remaneat, vti  
communior docet opinio.

7. *Quanam forma panis, & vini?* Verba determinata, ac  
certa, quæ à ministris recitando, & significando proferuntur.  
Forma corporis est: *Hoc est enim corpus meum*: Sanguinis au-  
tem: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, noui, & æterni testa-  
menti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in  
remissionem peccatorum.* Profectò verba efficacissima, Christi  
enim præsentiam efficiunt, ex cuius existentia veritas pendet.  
Per illud pronomen *hoc*, in forma Corporis designatur Chri-  
sti corpus, pro vt in termino prolationis verborum acciden-  
tibus panis præsens est; quemadmodum per pronomen, *hic*  
in forma sanguinis designatur Christi sanguinis prout in fine  
verborum accidentibus panis præsens est.

8. *Quanam verba sunt in utraque forma de necessitate?*  
In forma corporis, *Hoc est corpus meum*: Coniunctio, enim  
haud,